

## ANDREAE II. REGIS DECRETUM ANNI 1222.

*De mardurinis solvendis.*

## Articulus 27.

Mardurinae, juxta consuetudinem a Colomano Rege constitutam, solvantur.

*Quod praeter Palatinum, Banum, et Curiales Comites Regis, et Reginae, nullus duas dignitates teneat.*

## Articulus 30.

Item, praeter hos quatuor Jobagiones, scilicet Palatinum, Banum, Comites Curiales Regis et Reginae, duas dignitates nullus teneat.

## LUDOVICI I. REGIS DECRETUM UNICUM, ANNI 1351.

*Nobiles, inter fluvios Dravae, Savae, ac de Posega et de Valko, a solutione mardurinarum exempti habeantur.*

## Articulus 12.

Lucrum etiam Camerae nostrae, Nobiles inter fluvios Drava, Sava, ac de Posega et Valko, cum aliis viris Nobilibus Regni nostri, unanimiter solvere teneantur.

§. 1. Nec ratione collectae mardurinarum, Bansulmora vocatarum, amodo, et imposterum molestentur.

§. 2. Sed ab omni exactione aliarum quarumlibet collectarum, hactenus persolvi consuetarum, exempti penitus, tanquam caeteri Nobiles nostri aliarum partium et immunes habeantur.

GRATIA, PER SIGISMUNDUM IMP. & REGEM INFIDELIBUS, AC REBELLIBUS  
SUIS FACTA;*Anno 1403 post fugam ex arce Soklyos.*

§. 1. Quod, quia Nos, ad instantem et devotam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, Procerum, et Nobilium Regni nostri Ungariae, hic nobiscum praesentialiter existentium, quorum precibus propter eorum fidelia et gratissima servitia, atque fidelitates eximias, consensum non possumus denegare; Decrevimus: cum omnibus rebellibus, aemulis et adversariis nostris, in Regnis nostris Ungariae et Sclavoniae, nec non in partibus Transylvaniae constitutis et existentibus, veram pacem facere, et concordiam stabilire.